





DE  
AVDACIBVS DITHYRAMBIS

EX HORAT. L. IV. OD. 2.

STRICTIM EXPONIT

ET

---

AD MEMORIAM  
BENEFICII  
*ECCARDO-RICHTERIANI*

IN SCHOLA FREIBERGENSEI

A. D. XXVIII. IVN.

A. R. S. MDCCLVII.

RECOLENDAM

OBSEQUIOSE

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

---

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

LXXVIII.



**Q**Uum hac ipsa hebdomade in Horatio explicando ad illud carmen ordo nos deduceret, quod Pindari laudes complectitur, hunc Lyricorum principem non tantum argumenti grauitate, verum etiam verborum ac sententiarum sublimitate commendari, vidimus, qui

*Monte decurrens, velut annis, imbres*

*Quem super notas aluere ripas,*

*Feruet, immensusque ruit ore profundo. a)*

Et quemadmodum quidem Pindarus quinque carminum genera ad posteritatem transtulit, quorum primum laudes Bacchi celebrat, alterum regum facta praedicat, tertium victores in ludis publicis ornat, quartum et quintum autem encomia mortuorum comprehendit: ita Horatius singula argumenta singulis signis recensendo distinguit. Paeanas enim his verbis insignit;

*Seu deos, regesque canit deorum*

*Sanguinem, per quos cecidere iusta*

*Morte Centauri, cecidit tremendae*

*Flamma chimerae;*

Olympica certamina hunc in modum describit:

*Sive quos Elea domum reducit*

*Palma caelestes, pugilemque equumque*

*Dicit, et centum potiore signis*

*Munere donat.*

Threnos et encomia his numeris percenset:

*Flebili sponsae iuuenemque raptum*

*Plorat, et vires animumque moresque*

*Aureos educit in astra, nigroque*

*Inuidet orco.*

Ea vero carmina, quae Bacchi honoribus consecrabantur, his notis inter-noscenda signat:

*Seu per audaces noua dithyrambos*

*Verba deuoluit, numerisque fertur*

*Lege solutis.*

Ne igitur nesciant nostri commilitones, quid AVDACIVM DITHYRAMBORVM nomine intelligatur, paucis eorum indolem et naturam nunc persequemur.

Quod nomen DITHYRAMBI attinet, originem illud Baccho debet, qui cognomine DITHYRAMBUS ideo adpellatus est, quod *dis θυραμβος*, h. e. bis naturae foribus egressus fingitur, primum scilicet, ex Semele prognatus, secundum, ex Iouis femore exclusus. Quam in sententiam OVIDIVS; b)

*Im-*

a) *Hor. L. IV. Od. 2.*

b) *Metam. III. 310.*

*Imperfectus adhuc infans genitricis ab alio  
Eripitur, patrioque tener (si credere dignum,)  
Insuitur femori, maternaque tempora complet.*

Itaque dithyrambi vel versus dithyrambici proprio sensu ea carmina dicebantur, quae in Bacchi honorem decantanda, Baccho omnino digna videbantur, quippe ex liberioribus dictionibus numerisque composita, quibus vim singularem ad animos concitandos inesse, censebant. Quo longius igitur huius generis carmina à castigata ratione sermonis recedebant, et tam miram audaciam in inueniendo, quam tumorem in eloquendo prae se ferebant, eo propius ad naturam dei, quem celebrabant, accedere, et non tam a fanis ac sobriis, quam furore Bacchico concitatis prolata videbantur.

Et quidem sermonem Graecum omnium maxime idoneum fuisse ad huiusmodi verba sesquipedalia efformanda, res ipsa loquitur. Namque dici vix potest, quanta Graecorum sit libertas in vocibus coaceruandis atque in unam formam conflandis. Hac mente ARISTOTELES, quum duas nominum species, nempe *ἀπλῶν* et *διπλῶν* statuisset, se ipsum veluti corrigens, addit, imo *τριπλῶν*, *τετραπλῶν*, καὶ *πολυπλῶν*. c) Non enim solum adcumulatis praepositionibus verba amplificant, qualia sunt: *ἀντιπαρῆξιμι*, *persequor*, *ὑπεξαυδομαι*, clam existo, *ἐκκατεπαλλομαι*, exulto, etc. d) sed etiam ipsa nomina et verba mirifice conglobant, et, (si cum Plauto loqui velis,) contortuplicant. Huius igitur generis vocabula HORATIVUS nomine *audacium dithyramborum* indicat, *nova verba* autem ideo adpellat, quod sine exemplo atque auctoritate nuper demum sunt efficta; eademque *deuolui* ait, ut eorum prolixitatem, tumorem et molem ob oculis ponat. Eandem in sententiam ARISTOTELES e) pronuntiat: *χρησιμωτάτων ἢ διπλῆ λέξις τοῖς διθυραμβοποιῖς, ἔτι γὰρ ψοφάδες*, h. e. *verba coniuncta et quasi duplicata conueniunt poetis dithyrambicis: hi enim sonitu sunt pleni*. Neque aliam ob causam Pindarum ATHENAEVS *μεγαλοφωνώτατον* adpellat, h. e. *verbis turgidis et magnificis utentem*. f)

Inprimis autem Comici, ut risum captarent, et populo, quas fecissent, fabulae placerent, ampullis verborum et dictionibus dithyrambicis mirifice studebant, quas ARISTOPHANES ff) *μυριαμοφορα* vocat, hoc est, uti SVIDAS vertit, *ἀμφορες πληρωσαι δυναμενα*, quae totas amphoras implent. Eodem autem Aristophane, veteris comoediae principe, in dithyrambis consarcinandis omnis antiquitas neminem vidit effusorem. Vt fidem dictis faciamus, quaedam vocabula ex eius comoediis excerptamus, quae hunc in censum omnino referri merentur. Et ut quidem ordine progrediamur, in *Nubibus* huius poetae obuersatur epistolium *γλιχραντιλογεῖς*.

πi-

c) in Poet. 2.

d) Angel. *Canin.* Hellen. p. 69.

e) Rhetor. L. III.

f) Athen. L. XIII.

ff) in Pac.

πιπειτον, h. e. *minutum, quod facile refelli potest ac conteri*. Eadem in comoedia homines otio ac voluptatibus seruietes σφραγιδουχοαεργκομητες, audiunt, h. e. *interprete HESYCHIO, έχοντες σφραγιδας εν τοις δακτυλοις, και ονυχας λευκας κομιντες, annulos in digitis habentes, et albos unguis ornantes*. Ex Ranis eiusdem poetæ dithyrambum referunt πομφολυγοπαφλασματα, i. e. quemadmodum Scholiastes explicat, Φυσαι ξηγνημειαι και ηχον τινα αποτελεσαι, *bullae aquae cum strepitu erumpentes*: porro philosophi σαλπιγγολογηπηναδες, h. e. *tubis hastis et barbis formidabiles*. Ibidem veteris tragoediae parentem, Aeschylum, eodem iure, quo Quinctilianus, usque ad vitium grandiloquum, adpellat κομποφακελογημονα, h. e. uti Scholiastes interpretatur, βαρυρημονα, και σκληρα και συνδεδεμενα επη λεγοντα, *verba magnifica grauia et colligata proferentem*, vel, qui cum Tragicis, Telepho et Peleo, ab HORATIO commemoratis, g) *proicit ampullas et sesquipedalia verba*.

In comoedia, quæ Equitum nomen prae se fert, dictio κρενοχυτροληριος huius furfuris esse videtur, composita ex κρενος, fons, χυτρα, olla, et ληρος, nugae, quæ hominem stulte atque insipide loquentem indicat, eodem fere sensu, quo AESCHYLVS Euripidem τρωμυλιοσυλλεκταδην και ερακισουρραπταδην, h. e. *nugarum confarcinatorem et garrulum blateronem* adpellat. h) Neque Acharneses vocabulis dithyrambicis immunes esse, ψαμμοκοσιογαρογαρα testantur, quod nomen *incredibilem multitudinem* significat, ad oppidum Gargara referendum, quod ad radices montis Idae situm, tanta frumenti copia abundauit, ut uniuscuiusque rei maximum numerum indicaret. Eodem loco poeta galeam describit σκντοδασυπυκιοστειχα, *corio leporino, quod densis pilis horret, obductam*. Porro Vespas eiusdem poetæ percurrentibus oculis ferit vox abnormis prolixitatis, qua mores ορθοφωιτοσυκοφαντοδικοταλαιπωρων repraesentat, et cuius sensum HIER. WOLFIVS, i) *rectingredientibusycophantiuridicimiferis* vendicauit. Vbi vero Bdeydeonem perstringit, hominem elatis superciliis et moribus agrestibus, οφρευαγριστεμακισιον adpellat. Tali etiam audacia, qualis in dithyrambos conuenit, homines fordide auaros κυμοποριστικαρθαμογλωφες adpellat, h. e. *non erubescentes cuminum dissecare et nascurtium sculpere*. Neque minor libertate EPHIPPIVS, comicus, videns Bryson, Platonis discipulum, admodum auarum, nomen θρασυμαχειοληψικεματωνος illi imponebat, h. e. *audacia pugnaci omnia lucella captantis*. k)

Non tamen soli Comici, sed etiam Epigrammatum architecti, horum exemplum imitati, passim dithyrambis audacibus utuntur. Hunc in numerum referendus est, qui, suppresso nomine, Grammaticum vel Magistrum *cuslodem*

g) de Art. poet. v. 97.  
Dec. III. c. 3. §. 16.

h) Aristoph. in Ran.

k) Athen. Dign. L. XI. sub fin.

i) Lect. Memorab.

cusfodem Θηροζογοκαμψιμετων, h. e. ferae ac flexiuiugae frontis adpel-  
lat. l) Cui iungendus videtur HEGESANDER, Delphus, qui veterum Phi-  
losophorum fastum his verbis false cauillatur; m)

Οφρουνασπασιδαι, ηνεγκαταπυξογενεοι,  
σακκογενεοτροφοι, και λοπαδαρπαγιδαι.  
Ίματανωπεριβαλλοι, ηηλιποκαιβλεπελαιοι,  
νυκτελαθρασοφαγοι, νυκτιπαταιπλωγοι.  
Μερακιεξαπαται, και συλλαβοπευσιλαβηται,  
δοξοματαισοφοι, ζηταρετησιαδαι. h. e.

fursum elatis superciliis austeri, pilo in naribus defixo birti, barba in mento  
densa hispida, patinarum fures, elatam vestem gestantes, nudi, culinarii, et  
mensis dediti, noctu clam comedentes, nocturni et dolosi latrones, iuuenium  
corruptores, cauti syllabarum obseruatores, vanam sapientiam adsectantes, et  
virtutis inuestigatores: vel, uti SCALIGER, dithyrambos Graecos in ampul-  
las Latinas commutando, transtulit: n)

Silonicaperones, vibrissasperomenti,  
Manticobarbicolae, exterebropatinae,  
Planipedatquelucernitui, suffarcinamicti,  
Noctilatentiuori, noctidolostudii.  
Pullipremoplagii, sutelocaptiorticae,  
Rumigeraucupidi, nugicanoricrepi.

Nec alienum erit, hoc loco oraculum illud dodecassichon in Christianos  
adferre, quod ante annos amplius mille et quadringentos Patris, Aethiae  
vrbe, repertum, et a MICH. NEANDRO conferuatum ad nos peruenit,  
o) qui non tantum epigramma vocibus ingeniose conflatis luci publicae ex-  
posuit, sed etiam versione latina eiusdem moduli ac formae expressit. En  
vtrumque carmen:

Ἐμαπροσημοφοροι, ανυποκριταλυποπροσωποι,  
δελαχηρησολογοι, ιεραμιδοδοται,  
αυτοκαθηματιοσαυροι, θεομνησοεβασαι,  
επομακοιτιλαβοι, παριακαθαροφυγοι,  
αγκυλομιπηται, κοσμεσωτηριοδιψαι,  
πνευμαπενητοφρονες, κερματατημελεες,  
καρδιαληθωγοι, κοιναφελιμεργομεληται,  
ερηαιφιλοι, απλοικοφρονοι,  
βομβαροδοξιφειτοιχεγχεσιπυροδοιακτοι,  
βιβλεθεοτριβεες, δογματοθεοσοφοι,  
υψιδεοπρεπεις, καθαραφωτεροδιακται,  
ορθοφρενιζωοι, ερανοκληρονομοι. h. e.

Veste

l) in Antholog. L. I.  
Subsec. Vol. II. p. 798.

m) Athen. Dipnos. L. IV.

n) Bisciol. Hor.  
o) Erotemat. Lingu. Graec. p. 399.

*Vestedecentigeri, sedatosimplicivultu,*  
*Constiti peccati, gratidocentisacri:*  
*Secruci quotidiesfigi, deisolicolentes,*  
*Connubiacsifesequae, turpivolupticaui:*  
*Curuidolosporni, totorbisalutipetentes,*  
*Spiriregenhumiles, fraudepecunifugae:*  
*Veranimosanti, communiacommodicurae,*  
*Pacificatores, candidacordenoli:*  
*Bombardagladiofunbastaflammipetiti,*  
*Bibliasacricolae, dogmaperitodei:*  
*Summideogeniti, puraelucifludiofi,*  
*Mentebonauivi, caelicaregnipetae.*

Eadem fere ingenii felicitate veros christianae fidei confessores ERASM. SCHMIDIUS nominavit

κοσμοδρακονταϊδαομαρταδοσαρκαμαχαντας, h. e.

cum mundo, dracone, inferno, peccato et carne pugnant. p) Neque inuita Minerva IO. LAVRENTIVS, Danus, casei amatores his dithyrambis reprehendit; q)

*Σηπεδοηθενται, ζαευλελμυθοδιακται,*  
*σκαληκοτροφες, θρηισαπροφαγοι,*  
*σκωροπολυπατιληπυραθηκοπροκακκαασται,*  
*λαυμαβαρυβδεζαι, πρωτοχανισοπονοι; h. e.*  
*Rancidouermimouori, viventecadauerilambae;*  
*Lumbricocomedae, putriliguriferae:*  
*Latrinisfoethircomephitistercorolentes:*  
*Oregrauipedae, gutturimerdotrabi.*

Haec testimonia aperte, opinor, docebunt, Graecos, atque imprimis Comicos verbis magnifice sonantibus turgidis atque inflatis mirifice studuisse, et laureolam in hoc mustaceo multa cum industria quaevisse, quod ipsi *σομφαζεν*, vel *σομφαλογεν*, itemque *ληκυδιζεν* adpellant, et Scholiastes Aristophanis per *μεζον βοαν και ψοφεν* interpretatur.

A Graecis autem, ut omnia alia, ita etiam haec consuetudo ad Romanos transiit, ut multas dictiones in vnam formam redigerent. Ipse M. T. CICERO, stator et vindex omnis castigatae latinitatis, suo hoc suffragio comprobavit, *mibi placuit*, inquit, r) *ut summarum oratorum Graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc adsequerbar, ut, quum ea, quae legeram*  

Graece,

p) Commentar. in Pindar. Olymp. p. 308.  
 r) de Orat. L. I.

q) in Otio Sorano. p. 98.



Graece, Latine redderem, et non solum optimis verbis vterer atque vstatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae noua nostris essent, dummodo essent idonea. De quo argumento GER. IO. VOSSIUS s) et VBERT. FOLIETA t) copiose disputantes consuli possunt. Et quem, quaeso, fugiunt audaces dithyrambi a PLAVTO formati; vaniloquiduri, virginisvendonides, nugidoliloquides, argentiexterebronides, tedigniloquides, nummorum expalponides, quodsemelarrripidesnunquamposteaeripides, therapontigonoplazagidori, etc. u) Pari audacia LEVIVM, poëtam, vituperatores suos subductis superciliarptores vocitasse, A. GELLIVS memoriae proditum reliquit. w) Eiusdem caeuae est pecus repandirostrumincuruicercuicum, hoc nomine a PACVVIO insignitum, x) itemque Hercules scytalosagittipellifer, a TERTVLLIANO in hanc formam conflatus. y) Praeter versiones latinas epigrammatum supra in medium adlatorum, quae iisdem cothurnis, quibus graeca, incedunt, vnicum PETR. DAN. HVETII epigramma allegamus, quo fratres cucullatos suae aetatis notauit, his verbis sesquipedalibus et conglomeratis conceptum: z)

*Syrmatopullilutostirabi, doctforionummi,  
Romulidistorici, gloriolaucupidi,  
Loripedatquecatbedritii, mentaureobarbi,  
Putrididentini, ruspiloficutes,  
Simyehonariflui, rubicundoculumidilippi,  
Hircaxillolidi, rostrirepandibrochi,  
Trinigalerigeri, simulacriplateidecori,  
Franciscanicolae, nugipolyloquides.*

Et hic pedem figere constitueram, nisi iterum oculos in ARISTOPHANEM retorquens in vocabulum dithyrambicum incidissem, cui simile nuspian inueni, et quod verbis poëtae notari meretur: a)

*Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes.*

Legitur illud sub finem comoediae, quae *Ἀλυσιαίων* nomen inscriptum prae se fert, ex duodetriginta partibus conglobatum, et vno vix halitu pronuntiandum. En illud: *Δοπαδοτεμαχυστελαχογαλεακρανικεςφανοδομιμποτοτριμματοσιλφιοπαραμελιτοκατααεχυνμειονικηλεπιοσσιφοτεριεραλεκτρονοπτοκεφαλοικγκλοπελειολαγοσιραυβαφητραγαλοπτερυγων.* Quo syrmate vocum nihil aliud Comicus occultauit, quam coniuuium ex omnibus esculentorum genere commixtum. Partes enim, ex quibus haec monstrosa dictio

s) Commentar. Rhet. P. II. p. 18.

u) in Perf. Ast. IV. Sc. 6.

w) de Lingu. Lat. L. IV.

a) Ouid. Trist. I. 2.

t) de usu et praestant. ferm. Lat. L. XI.

x) Noct. Att. L. XIX. c. 7.

y) de Pallio Cap. I.

z) Poematt. p. 24.

dictio coit, hae fere sunt: *λοπαδιον*, patella, *τεμαχος*, frustum, *σελαχι*, piscis sine squamis, *γαλεος*, mussela, *κρανιοι*, caluaria, *λειψανοι*, reliquiae, *δρμυ*, acra, *ποτος*, potus, *τριμμα*, intritum, *σιλφιος*, laser, *παρα*, cum, *μελιτον*, mustum decoctum, *κατακεχυμενος*, superinfusus, *κιχλη*, turdus, *κοσσυφος*, merula, *επι*, praeterea, *περισερα*, columba, *αλευτρωαν*, gallus, *οπτος*, assus, *κεφαλη*, caput, *κιγκλος*, cinclus, auium genus, *πελειος*, liuia, *λαγαος*, lepus, *σιραισι*, defrutum, *βαφι*, iusculum, *τραγος*, hircus, *ανω*, supra, *πτερυξ*, alatus.

Hoc autem conuiuium ad recolendam memoriam illius conui-  
ctus nos deducit, quem beneficio ECCARDO-RICHTERIANO schola no-  
stra acceptum refert, et quo sex alumnis litterarum, qui probitatem et dili-  
gentiam idoneis testimoniis probarunt, quotidie liberalis mensa indulgetur.  
Etiam si enim auctores huius beneficentiae singulari mandato non sanxissent,  
vt anniuersarium monumentum tam laudabilis instituti renouaretur, pietas  
tamen nos excitare et poterat et debebat ad hoc officium sponte exsequen-  
dum. Et his quidem exulceratis temporibus eo iustiores causas habe-  
mus, huic munificentiae iustum pretium statuendi, quo grauiores passim que-  
relae de inclinatis et fere prostratis legatis, quae piarum caussarum nomine  
ueniunt, aures nostras vulnerant. Quare Deum immortalem precamur et  
obtestamur, vt ea praesidia, quibus litterarum studia et sustentantur et exci-  
tantur, facta atque integra seruet, et, si quam passa sunt iacturam, largo eam  
foenore compenset, MAGISTRATIBVS autem atque INSPECTORIBVS  
REI SCHOLASTICAE GRAVISSIMIS, post calamitates publicas feliciter  
superatas, eam mentem inspiret ac seruet, vt porro, quod adhuc fecerunt,  
scholas tanquam seminaria ecclesiae et plantaria rei publicae curae ac cordi  
habeant. Iam vero omnes ac singuli, qui Musis fauent, eo, qua par est,  
obsequio rogantur, vt orationem Latinam iuuenis boni nominis, et filii  
max. Reu. Parente haud indigni,

CHRISTIANI FRIDR. MÜLLER DE BERNECK,

*e sano Alberti,*

qui adhuc eodem beneficio fruitur, de recto usu fortunarum duce religione  
Christiana optime addiscendo hora IX. ante meridiem audita dicturi  
beneuola praesentia cohonestent, et propensa auscultatione dignentur. Quod  
publicum fauoris documentum non solum grato animo prosequemur, sed  
etiam omnis generis officiis studebimus demereri, P. P. Freiberg.  
d. XXVII. Jun. anni aerae Christianae, quem Christus pacis commen-  
datione signauit: (*Matth. V. 9.*)

beatI paCificI, naM à Deo pro FILIIS habentor,

Yb 627

(1/80)

ULB Halle 3  
002 103 591



7A→00L

VD 18





Inches

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

XVIII.

Litteris MATTHAEANIS.

L. BIDERMANN. R.

INVITAT

QVIOSE

OLENDAM

MDCCLVII.

XXVIII. IVN.

A FREIBERGENSEI

*-RICHTERIANI*

NEFICII

MEMORIAM

ET

TIM EXPONIT

AT. L. IV. OD. 2.

DE  
DITHYRAMBIS

78